anathematizat in eos, qui dicebant eos aliquos ad malum esse praedestinatos à Deo. R. concilia SS. PP. vel solum loqui de formali peccati; vel de materiali formaliter secundum malitiam considerato. Vel quando loquuntur de solo materiali solum intendunt talem entitatem non esse à Deo ut provisore particulari.

Ob. 2do. Deus absoluto, et efficaci decreto in singulis hominis voluntate vult, quod illa liberè, et cum advertentia rationis in particulari; et cum omnibus suis circumstantiis hunc actum odii Dei eliciat; atqui implicat, quod homo liberè, et cum advertentia rationis in particulari; et cum omnibus suis circumstantiis talem actum eliciat, nisi peccando, ergo Deus absoluto et efficaci decreto vult, quod homo peccet. R. distinguo majorem. Deus absoluto et efficaci decreto vult, quod homo eliciat actum odii modo effectivo concedo; in modo defectivo nego majorem. Explicatur ex [illegible] dictis;

Non possum velle, quod vult Deus tanquam gubernator, conservator, provisor, tanquam specialis provisor, [illegible] est praeceptor; et

Ob. 3tio. Si Deus praedeterminaret hominem ad actum peccati, sequeretur, quod illum tentaret, et seduceret, consequenter contra Jacobi. 1. cap. [illegible] aliquem seducere, et tentare, qui illum movet ad eliciendum aliquem actum a quo scit, malitiam inseparabilem. Atqui Deus hoc facit, ergo.